



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Sensus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

*Quinarii  
hierogly-  
cum.*

Quinque autem, aut quinquies ostendere qui volunt, annularem & minimum exporrigunt, impudicum palmam versus incurvant, uti in Jani statua dicebamus. Neque quidem hoc tantum signo quinarius significabant Ægyptii, verum etiam per sculptæ Stellæ hieroglyphicum, propterea quod, ut Horus ait, ex innumerabili stellarum multitudine quinque; tantum sunt ea prerogativa prædita, ut mundi, quod illi aiebant, curam gererent, humanis rebus omnibus consalerent, nihil; apud mortales fieret, quod ab earum arbitrio non penderet. Ego, si mihi dicere liceat, desumptum præter radiorum numero, quo Stella piscis insignita est, quod & Naturalis historiæ scriptores tradunt, & ego in Anconitanum littus ejectionis magno numero conspexi, & manibus meis atrectavi. Sedenim de hac plura loco suo in Cœlestibus enarrabuntur.

## SENSUS. CAP. XIV.

*Quinarii  
numeri  
mysticus  
sensus.*

Ed & ipse quinarius numerus quomodo cumque descriptus figuratusve, suam habet hieroglyphicam in sacris significationem: pro quinque enim sensibus accipitur. Unde illud Ambrosii per vulgatum de quinque virginibus prudentibus, & totidem fatuis. In antiquioribus vero Mosæicæ legis præceptis, qui peccasset in sanctis, tantumdem reddere jubebatur, & ad illud quintas adicere, quod in exemplaribus Græcis *ἑνὴν πέντε* legitur, ut scilicet ita intelligamus: *Si quis de sacri vel oblationibus vel muneribus in usum pauperum erogatis, aut pro templi adificatione, alteriusve voti operis designatione datis, quinque, intervortisset, oportere eum quinque, sarta tecta reddere, mox peccati veniam imploraturum ἑνὴν πέντε adicere, hoc est, & alteram quinque, & aliquid insuper auctarii. Quam sententiam Cyrillus examinans ita meditatur: Si quis, inquit, quinque, sensuum opus perverterit, & debito honestoque unumquemque officio defraudaverit, oportere eum synceros illos, & integros Deo restituere, mox alios quinque interiores adicere, & horum omnium denique summam & solidationem quandam superaddere, firmum scilicet bene agendi propositum, si Deo satis ex asse facere voluerit. Eodem facere videtur, quod ab uno mense ad quintum usque annum didrachmæ quinque; hoc est, ut Hierosolymitanus Hefychius interpretatur, quinque sensuum perfectio, sit oblatio: quæ ideo per geminarum numerum exprimitur, ut intelligamus, ea quæ puer sensibilibus videt, audit, gustat, odoratur, & tangit, ea etiam conduplicet, dum ad intellectum ea accommodare fuerit institutus.*

## QUINGENTA, CAP. XV.

Idem gestus ex iisdem digitis in manu dextera, quingenta supputat.

## VI. CAP. XVI.

*Capit. 19. &  
Censori-  
um c. 12.*

Annularis vero in læva solus incurvatus, auriculari & aliis exporrectis, senarium ostendit, de quo multa apud Macrobius libro 6.

## SEXCENTA. CAP. XVII.

In dextera vero eodem depositus modo sexcenta colligit, qui numerus apud Latinos pro maxime ingenti copia, numerosissimaque multitudine, ac propemodum infinita, hieroglyphice proferri solet. Ad Atticum Cicero: *Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi.* Ad eundem idem: *In quo multa molesta, discessus noster, belli periculum, militum improbitas, sexcenta præterea alia.* Lepideque Plautus, Captivis, *Sexcentoplago* nomen fecit illi, cui plagæ innumeræ nunciabantur. Sed ne sexcenta ejusmodi proferam, ad reliqua enarranda progrediar.

## VII. DCC. CAP. XVIII.

Is jam trium digitorum spatium decursis, tertium iterabimus, quod palmam moveat. Facta igitur ad auricularæ repetitione, eum dicimus, quantulumcumque porrigi potest, ad imum usque palmæ tuberculum appressum, septenarii numeri signum esse. Et in dextera, septies centeni. Eo vero gestu componendo medius quoque adfectu cogitur, ac veluti gnomon horarius supra anularem prominere, ut ea sit ejus digiti figura, quam trapezita nunc in septenario notando delineant, in hoc scilicet signum 7.

CEN-